UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Valerii Andreae Desselii Erotemata Ivris Canonici

Andreas, Valerius

Francofurti & Lipsiae, 1720

VI. De clerico ægrotante vel debilitato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63277

Visual Library

dignitas, alibi perſonatus, pro diverſa loquendi conſuetudine. *Panorm. in c. cum de multa. num.* 21. ut ſupra dixi de ſacriſta, theſaurario, & cuſtode; nec non de beneficio, præbenda, & titulo.

VI. De clerico ægrotante vel debilitato.

ALtera qualitas eſt infirmitas corporis, propter quam quæri poteſt, an præbendam amittat; & ſi quidem clericus in levem nec diuturnum morbum incidit, ut in febrim tertianam, vel quartanam, nihil amittit, *cap.* 1. ſi vero morbo gravi & diuturno, vel perpetuo laboret, ut lepra, apoplexia, paralyſi, tunc ab adminiſtratione removetur, eique coadjutor adjungitur, qui curam habeat animarum. *c.* 3. *penult. & ultim. & Inf. lib. 6. c. un.* utrique autem de facultatibus Eccleſiæ proſpicitur. *d. c.* 3. *& d. c. un. §. præſenti.* De præbendato & ejus qualitatibus hactenus.

VII. De inſtitutionibus.

SEcundo loco conſideratur ipſa præbendæ conceſſio, quæ vocatur inſtitutio. *Inf. lib.* 9. *de reg. jur. reg.* 1. Nam inſtitutio (ut opinor) eſt dignitatis vel officii vel præbendæ conceſſio. Quæ quidem vocatur inſtitutio corporalis. *Sup. de offic. archidiac. c.* 7. & inveſtitura. *Sup. de ſent. & re judic. c. cum olim.*